



PROEMIUM.

I. **P**roprium Theologie munus est, *Fides Theologie Catholicae dogmata, & morum precepta, manu exponere.*

II. Hæc partim *Fidei*, partim *morum* præcepta, dum tudi duntaxat stylo, sive argumentorum, & disputationis apparatu proponuntur, *Catechesis* dicitur; quæ plebis, & tedium *Theologia* vocari potest.

III. Quoniam verò Pastoris, & Doctoris animatum patres non sunt, scire duntaxat, quid credere, & facere *Catholicum* oporteat; verum etiam (ut Magister Sententiarum ex S. Augustino Lib. 14. de Trinit. Cap. 1. tradit) scire, quemadmodum *Fides Catholica & piis opibus* letetur, & *adversus impios defendatur*: Propterea, ut idonei in Scholis Theologicis formentur Pastores animatum, & Doctores, dogmata in illis, morumque præcepta, non modo exponi simpliciter, sed stabiliri etiam solidâ methodo, atque adversus aliter sentientium obiecta communiri solent.

IV. Ex usitata ergo in Scholis hæcce methodo expo- Unde Theo- nendi, probandi, oppugnandi, ac defendendi Dogma- logia no- ta, veritatēsque cum eis connexas, natum est Theologie men Scho- Scholastice nomen, tanto venerabilius, quanto est in Ec- lastica for- cllesia antiquius, relatis multis de profana Heterodoxo- rium novitate victoriis clarius, quantoque rerum in Ec- clesia novarum studiosis temper fuit exosius.

*Quid sit
Methodus
scholasti-
ca.*

V. Methodus autem ista Scholastica est hujuscemo-
di. (1) Præmittuntur definitiones, partim rerum, par-
tim verborum, quavis in controversia occurrentium.
Non magnopere tamen laborat Theologus; utrum de-
finitiones ad severitatem regularium Logicarum exactæ
sint, nec ne, modò sat claram nobis rerum ideam exhi-
beant. Si quæ verò in Patribus, aut Conciliis, aut ipsis
etiam in Scripturis, definitiones reperiantur, has præfert
aliis, privato ingenio excogitatis. (2) Sequuntur, ubi
opus, divisiones, non tamen facile, nec nimium à Theo-
logo multiplicandæ. (3) Proponitur præsentis contro-
versiæ statutus: cuius initium, progreslus, exitus, aut quo
hodie in loco sit, eruditionis causâ explicatur nonnun-
quam ex Historia. (4) Certa, vel ab utraque litigantium
parte concessa, separantur à controvertiſ. Ubi logo-
machiæ, sive inanæ de sola voce contentiones (si quæ
fortè in disceptatione occurrent) exponendæ, atque
in ipso disputationis aditu præcludendæ. (5) Propo-
sitio defendenda statuitur, explicatur, quatenus ne-
cessæ est, probatur ex Locis Theologicis per accuratam,
& severam Dialecticen. (6) Argumenta opposita eä-
dem Dialectices severitate discutiuntur, ac dissolvun-
tur: quod non erit, si rectè disposita, ac stabilita fuerint
præcedentia, difficile. Denique (7) subne&tuntur, si
quæ occurunt, utilia ex prioribus consectaria. Quin &
indicatur nexus, quo præsens quæstio colligata est cum
quæstionibus aliis, ostendo, si quod lateat, veneno, vel
periculo, sub opinione ad speciem innocentem.

VI. Adornata in hunc modum methodus, ut est ad
utilias, intellectum uni, quæ agitur, rei affigendum, intra præ-
sentis, ne aliò evagetur, controversiæ terminos coer-
cendum, pleniūque convincendum, aptissima; ad præ-
cludenda vana effugia, ad evitandos sophismatum, &
para-

paralogismorum laqueos, ad logomachias præseandas, aliisque humanae mentis ludibria cum cavenda, tum redarguenda, efficacissima: ita a tot seculis salubriter inventa, ab omnibus Ecclesiæ Catholicae scholis adoptata, ac constanter haec tenus retenta fuit, velut medium exponendi veri opportunissimum. Cavebitur tamen, ne in eam irrepant nonnullorum sequioris ævi scholastico-rum obscuriores distinctiunculae, & verborum formulæ leviculae, studio omnium gravissimo, & facerrimo minùs dignæ; quas delicatiores hujus ætatis aures non ferunt, quæque disciplinam, per se pulcherriam, expoununt, obrectatorum deridiculo.

VII. Stylus itaque erit Disciplinæ augustissimæ majestate dignus: non verbosior ille quidem, & conquisitus cura nimia coloribus superbiens; sed simplex, brevis, concisus, tersus, clarus, & apertus; nec barbarus, nec solecismis aspersus, sed latinus, castigatus, & purus. Religioni tamen non erit, quod minùs usurpentur voces jam pridem civitate Theologicâ donatae, licet aureo linguae Romanæ saeculo vel ignotæ, vel alio in significatu usurpatæ: veluti *Essentia*, *Subsistens*, *Hypostasis*, *Incarnatio*, *Transubstantiatio*, *Sacramentum*, aliæque id genus.

*Quis reti-
nendus in
methodo
Scholasti-
ca stylus.*

VIII. In materiarum autem, sive quæstionum per tractandarum delectu duo observabuntur. Primo, cum proprium, ac præcipuum Doctoris Theologi munus sit docere Dogmaticam. Id est: *Quid velut à Deo revelatum carum de Ecclesia Catholica omnibus seculis crediderit; quidque ex revelatis per Dialetticam conclusionem porrò consequatur?* *Quid item jure, sive naturali, sive divino, sive humano, faciendum, omittendumque sit?* non insumet is potissimum labore in inventilandis quæstionibus adiaphoris, ac inter Catholicos Doctores impunè disputatis. *Quam ridiculum est,* inquit Melchior Canus Loc. Theol. Lib. XII. Cap.

Cap. 5. nervos omnes corporis, & animi intendere in ea questione solvenda, cuius inscientia nihil periculi habet, error nihil habet criminis? Sed maxima, & potissima lucubrationum pars tribuetur questionibus verè dogmaticis. Ex ceteris ex solæ retinebuntur, in quibus erit annorum, ingeniorumque exercitatio quadam, non modo acuminis plena, sed etiam ad Theologiam scholæ valde utilis. Venim Problemata hæc ponentur peculiari in classe, extra veritatum dogmaticarum chorum, ac veluti lecta quadam bellaria mensæ inter dona secundæ inferentur. Ceterum in eruendis conclusionibus verè Theologis ex principiis revelatis, aut præceptis generalioribus, uberrima, atque utilissima dubiorum seges succrescit; in quibus exercitare se possint abundè felicia ingenia. Neque enim omnia, à primis præsertim principiis remotiora, sunt ocyùsita in proposito, ut nullo ad ea per vestiganda ingeniorum labore opus sit.

*Diligenda
questio-
nes maxi-
mè nece-
sarie, &
utiles*

IX. Quo in genere quamvis non omnino vituperandus quorundam hujus ætatis Theologorum conatus, qui Theologiam ad genuinæ Dogmaticæ normam redigere ex aliquo tempore aggressi sunt; in eorum tamen nonnullis hæc videntur jure desiderari; Primo, quod non satis defæcatâ crisi fecerint questionum necessarium, & utilium delectum. Exterminarunt quasdam, quas non inutile fuisset retineri: quasdam invexere, quas facile pateretur Res publica Christiana præteriri. Inutiles quasdam commutârunt cum æquè inutilibus. Secundò, & maximè, quod ieviculæ, & enerves sint multæ non nullorum argumentationes, & AA. acquiescant probatiunculis, intellectum non satis convincentibus. Hoc ergo optimi Theologi negotium; ut & siat questionum non nisi utilium delectus; & ha perrractentur solidè, & efficaciter.

*Eaque so-
lide per-
tractanda.*

X. Alterum, in materiarum delectu observandum, *Non omniā possunt disci quadriennii unius cursus.* hoc occurrit: non posse requiri, ut quadriennii, quod cursui Theologico passim tribui solet, spatio omnes omnino quæstiones dogmaticæ, aliæque utiles, quæ in Theologis typō impressis reperiuntur hinc illinc, ventilantur, ita, ut post annos quatuor auditores sciant omnina; nec quidquam eis è schola egressis, supersit amplius discendum. Non est hic quadriennii unius labor. Nec ipsimet, qui hæc conscripsere, didicerunt illa tantillo tempore, sed improbo multorum annorum studio.

XI. Cum ergo quæstiones aliæ Theologicæ vel continent generalia quædam principia; vel difficiliores tantum sint, magisque reconditæ, quam quæ marte proprio, ac generali fine magistri ductu intelligi à quolibet possint; aliæ vero rara, & diffiniores, ac faciliotes, quas generalibus, magisque faciliora famosis principiis imbutis quisque aſſequi per semetipſum ex librorum honorum lectione possit: propterea maiores quidem illas, magisque intellectu arduas, convenient diligenter pertractari in scholis. In minoribus vero fatis erit, discipulos ad Auctores probæ fidei, suo tempore perlegendos, remittere. Multæ etiam patvæ controversiae occurrent, ac breviter expedientur in SS. Scripturarum explicatione.

XII. Fons, ex quo haurienda Fidei dogmata, est *Theologia dogmatica haurienda ex Verbo DEI scripto, & tradito.* *Verbum DEI, tam scriptum, quam traditum.* Hoc postremum subministrant nobis, ac quasi per manus tradunt Patres, ac Doctores, motis quætionibus coævi; Conciliorum Ecclesiasticorum Decreta, & Canones; Pontificum summorum oracula. Horum sententias ponit *Theologia dogmatica*, Scripturæ ac Patrum verbis potius loquens, quam suis. Quare ab aliis vulgo *Positiva* nuncupatur: quia planâ facilitate ponit, ac monstrat, quid Dei traditum semper credimus, tanquam *Verbo DEI* vel *descriptum*, vel sum subtra- ministrans

Ss. Patres, traditum; quid ab hominibus privatis contra innovatum.
Concilia, In quo est summum Religionis puræ, & castæ, peregrinorum dogmatum maculâ nullâ aut rugâ viciatæ, præsidium; quo solo posteriorum omnium Fides nititur.

*Pontifi-
cum ora-
cula:*

Nec non

Historia

*Ecclesia-
stica.*

XIII. Lucem Dogmatico Theologo præferet Historia Ecclesiastica, sive quâ cœcutiet, quantumvis sibi videatur illuminatissimus. Quare thesin dogmaticam præcedet semper historica fidelis narratio, ex coœvis, & probæ fidei scriptoribus depropmta, ut jam supra est monitum §. V.

Cautela

circa u-

*sum His-
toriorum.*

XIV. Catholicitatem Theologi Dogmatici erit, ut & evitet ipse religiosissimè, & in adversariis gravissimè perstringat abusus; qui à multis hujus ævi scriptoribus hōcce in negotio committuntur. Nam

(1) Faœta historica non narrant satîs fideliter, sed vel ex coœvis quidem, sublestæ tamen fidei, scriptoribus, vel ex corrupta à sequioris ævi hominibus Historia.

(2) Faœta, per vim, injuriam, aut aliâs perperam gesta, pertrahunt ad probandum Jus: cum in materia Dogmatica non tam, quid factum, quâm, quo jure factum sit, ponderari oporteat.

Cautela in

allegatio-

ne textu-

m.

XV. Neque minus peccari contingit in allegandis textibus:

(1) Quippe Verba S. Scripturæ, Ss. Patrum, Coaciliorum, Pontificum, Authorum classicorum, aliis omnino de rebus loquentia, aliam, & suam in rem, sœpè detorquent, arreptâ nonnunquam vocis unius significacione ambiguâ, quæ cum vocibus in controversia mota occurribilibus affinitatem quidem aliquam habeat, longè alium verò ipso in fonte sensum præse ferat.

(2) Verba sœpè, aut sententias mutilant: quæ, si corpori, à quo avulsa fuere, restitueris, sensum valde diversum reperias.

(3) Quæ suæ causæ palam vident adversari, callide
supprimunt.

(4) Ipsum orationis contextum non tardò corrumpunt, & vitiant.

(5) Orationem dum alio ex idiomate in aliud trans-
ferunt, non interpretantur eam fideliter; sed alienum
in sensum detorquent, addentes de suo, aut auferentes
ex textu originario aliquid.

(6) Asperitas à se met textui glossulas, pro Scripturæ,
Patrum, Conciliorum &c. sententiis venditante.

(7) Sententias nonnunquam in medium proferunt,
quæ nihil prorsus præsentem ad rem faciant. Imò pro-
lixas aliquando Ss. Patrum sententias, ac locos quosdama
communes, adiectoris nauseam recitant: quos si perie-
geris, nescias, pro eisne, an contra illos, militent: vide-
ā que nonnunquam, ab ambabus partibus, maximè in-
ter se dissidentibus, ejusdem proferri textūs clypeum,
quo se tueri contendant.

(8) Ex locis quibusdam obscurioribus moliuntur
eruere alienam planè à S. Scriptoris mente explicatio-
nem locorum aliorum clarorum, causæ suæ apertè ad-
versantium. Clarorum non ex obscuris, sed obscuro-
sum potius ex claris, repetenda explicatio.

Has, similèsve artes imitatus qui fuerit; nā is pro-
diderit potius rei Catholice arcem, quām defenderit.
Eas verò qui in adversariis severè notaverit, nullo de his
negotio triumphabit. Ut notet eas autem, fontes ipsos
non alienis, sed suis met oculis inspiciat; observabit se-
dulò, quis, contra quos, quibus temporum conditioni-
bus, quā occasione, scripsit? Caput, vel sermonem
perlustrabit totum; antecedentia comparabit conse-
quentibus, ut manifestior appareat veritas.

*Theologiae
Dogmati-
sæ finis.* XVI. Dogmaticæ Theologizæ finis præcipuus est, confirmatis Fidei Catholicæ dogmatibus, convellere oppositas illis hæreses. Harum aliz gressantur etiamnum hodie; exque recensendæ fideliter, & prolixè, quantum satis, fortissimèque debellandæ. Sufficiet autem Theologo dogmatico è scholæ cathedra recensere hæreses, prout traditæ primitus fuere ab ipsiis met earum authoribus, atque hodie inter eorum sequaces defenduntur communius. Nam percensere, quid circa articulum Fidei quemlibet privati illorum doctores quique sentiant, foret infiniti laboris, nec ferre possibile: cum, quot apud eos sunt homines, totidem penè sint sententiae. Si quis cum aliquo singulari scriptore in certamen singulare aliquando descenderit: tum erit Antagonistæ hujus sui mens fideliter exponenda.

XVII. Aliæ hæreses antiquæ sunt, quæ hostie serpunt non nisi clanculum, sine cœtu, auctoritate publicâ tolerato, veluti Ariana, & Macedoniana. Hæ similiiter profligabuntur, brevius tamen; satis enim erit nōs sic historicè argumenta potissima Patrum Catholicorum, & responsiones adversus hæreticorum veritias.

XVIII. Aliæ demum hæreses veterum usque adeò fuerunt stolidæ, obscenæ, atque absurdæ; ut nemo eas posthac resuscitare ausus fuerit. Harum mephitum movere multis denuò in tanta rerum discendarum mole non vacat. Satis erit, breviter eas referri, & perstringi.

*Impug-
nanda suis
locis hæ-
reses.* XIX. Quemadmodum vero nullus est in Theologij Tractatus; in quo non occurrant, pro dolor, impugnandas hæreses: ita ad materias dogmaticas singulas indicabuntur illæ suo loco, una cum Patribus, aut Theologis clarioribus, qui eas præcipue impugnârunt; & Conciliis, quæ eas condemnârunt.

XX.

XX.
tant prop
damonat
riæ liter
ostende
caut, q
litis ante
pericula
Concili
modis
Deniq
expone
XXI.
scholal
timent
ta; cuj
pliza u
cispod
genera
pla, &
prude
rum,
ter mus
ta, hic e
XXI.
ria fund
démique
& imbec
fagaci
vendis o
autem si
petar S.
rate cas e

XX. Cùm in omni pariter Theologiæ parte occur-
rant propositiones, à Summis Póntificib⁹, aut Conciliis
damnatae; suis singulae locis inserentur. Ubi duce histo-
riâ literatiâ damnatae cuiuslibet propositionis authq̄
ostendetur, exponetur genitna ejus mens, proferentur
causæ, quæ ad eas proscribendas moverint, aut ex stabi-
litis anteà dogmatibus demonstrabitur, quām merito
percusse anathemate fuerint à summis Pontificibus, aut
Conciliis, præferrim Tridentino; quorum auctoritatem
modis omnibus elevare student hodierni Acatholici.
Denique Propositio, damnatae contradicens, dilucide
exponetur.

XXI. Quoties Professor Theologiæ dogmaticæ, &
scholasticæ incidet in materias ad morum præcepta per-
tinentes, solida jacet pro Theologia morali fundamen-
ta; cuius Professor difficiliora & magis recondita dis-
plinæ morum principia postulat; obvia & faciliora pau-
cis probat, in hoc potissimum occupatus, ut partim per
generaliora principia, partim per applicata ad hæc exem-
pla, & casus practicos, Auditorum suorum judicium, &
prudentiam ad rectè administrandum Pœnitentiaz fo-
rum, animasque dexterè regendas, instituat. Quapropter
multæ materiæ, à Theologis dogmaticis alias tradi-
tæ, hic omittuntur, & reservantur Theologiæ morali.

XXII. Sicut theseos, ita quoque antitheseos, palma-
gia fundamenta dictabuntur *in formâ Syllogistica*, in eâ-
démque resolventur, digito in fallacias intento: Minuta,
& imbecilliora Obiecta vel oretenuis Subjungentur, vel *Eiusdem*
partes cir-
ca objection-
nes.
sagaci judicio Studentium committentur; ne in sol-
vendis objectionibus nimium diffluat hora. Solutiones
autem sint candidæ, claræ, sine captione, ac vexâ. Si sup-
petat S. alicujus Patris textus pertinens, eodem robo-
xare eas eruditam erit, & ad persuadendum utile,

Theologia dogmatica debere videri aliam à Scholastica, ut perperam sibi forte esse & ipsa persuadent quidam. Sed potius Theologia eadem & debet Scholastica. Dogmatica erit & Scholastica: Dogmatica quidem à materialis dogmaticis, in quibus versatur (§. VIII.) potissimum, Scholastica vero à methodo (§. V.) scholastica.

Eius utilitas,

XXIV. Ex Theologia hujus Dogmaticae & Scholastica studio is fructus speratur, ut per Trevirensem Provinciam in utroque Clero, tam sæculari, quam regulari, brevi omnineant viri Theologi verè eruditæ, & graves, ac proinde veri & solidi Doctores, ac Pastores gregis Catholicorum quales describit, & desiderat Eminentis Cardinalis Gotti Theolog. Scholastico-dogmaticæ Tom. I. Tract. I. Isagogicæ q. I. dub. 3. n. XII. ubi ita loquitur: Oportet enim Theologum, sicut & Episcopum, non solum amplecti eum, qui secundum doctrinam est, fidem sermonem, ut potens sit exhortare in doctrina sana, sed etiam eos, quæ contradicunt, arguere. Tit. I. v. 9 Et paratum esse ad satisfaciendum omni poscenti rationem de ea, quæ in nobis est, spe I. Pet. 3. v. 15. Denique ex Sap. 8. debet scire versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum. Ita ille, subjungens, hæc omnia præstari à sola Theologia Positiva haud posse, ac Theologum Positivum, scholasticâ penitus destitutum, esse velut militem armis instructum, sed arte carentem, & dexteritate ea peitractandi. Confer egregie pro Scholasticâ certantem Annatum in Apparatus methodico ad theolog. posit. lib. I. art. 2. & 3.

Sæcon-
mis.

XXV. Tota autem Theologia Dogmatica octo in partes, five Tractatus distribuetur,

I. De DEO Uno, ac Trino.

2. De Angelis, Beatitudine, & Aetibus humanis.

3. De

3. De Peccatis, Gratia, & Merito,
4. De Virtutibus in genere, & Fide, Spe,
& Charitate, in specie.
5. De Virtutibus Cardinalibus, ac præci-
puè de Justitia.
6. De Verbi Divini Incarnatione.
7. De Sacramentis in genere, & tribus
primis in specie.
8. De Sacramento Pœnitentiæ, & tribus
reliquis.

Hic eto Tractatus tradentur quadriennii curriculo
integri per duos Professores, quorum alter incipiat à
primo, alter à quinto Tractatu.

XXV. Singulæ autem materiæ in Tractatibus sic or- *Ordo, in*
dinabuntur, ut primo loco exponantur, & stabiliantur materia-
dogmata, 2do confutentur oppositi dogmatis erro- *rum singula-*
res, & hæreses; 3to referantur (§. XX.) propositio- *larum dis-*
nes damnatae; 4to pertractentur lectiora quædam, & *ce�ations*
utiliora problemata, seu liberæ scholarum concerta- *retinen-*
tiones, aut questiones, interdum & quæstiunculæ, su- *dus.*
per ejusmodi videlicet materiis, quas tangere quidem
expedit, fusiū tamen ventilare omnes angustia surri-
cūfannalis non sinū: ita quippe abundant certi tracta-
tus, ut omnia æquali morā tradere sit impossibile.

PRO